

4848
3.2

D. D.
DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS
DE
POTU
CHOCOLATÆ;

QUAM,
VENIA EXPER. FACULT. MED. AD REG.
ACAD. UPSAL.

PRÆSIDE

VIRO NOBILISSIMO atque GENEROSISSIMO


D. DOCT. CAROLO
VON LINNE,

EQUITE AURATO DE STELLA POLARI,
S:Æ R:Æ M:TIS ARCHIATRO, MED. ET BOTAN. PRO-
FESSORE REG. ET ORD. ACAD. SCIENT. PARIS. UPSAL.
STOCKHOLM. PETROPOL. BEROL. IMPER. NAT. CURIOS.
BERNENS. LOND. ANGLIC. MONSPEL. TOLOS.
FLORENT. ET EDINB. MEMBRO,
PRO SUMMIS IN MEDICINA HONORIBUS OBTINENDIS,
PUBLICO EXAMINI SUBJICIT

ANTONIUS HOFFMAN,

REG. COLLEG. MED. SYNDICUS.
IN AUDIT. CAROL. MAJ. XVIII JUNII MDCCLXV.
H. A. & P. M. S

HOLMIÆ, LITERIS DIRECT. LAUR. SALVII.



D. D.

§. I.

Inter tres illos celebres potus, qui majoribus ignoti, nobis ab exteris advenæ, jam familiari inclaruerunt usu, *Theam*, loquor, *Coffeam* atque *Chocolatam*, bitis quidem prioribus frequentius delectamur; hinc tamen non præstantiores & corpori benigniores nostro habendi. Mitior enim *Chocolata*, quæ nec emaciat, nec vires præmature enervat, eo majoris facienda, quo salubrior ejus fuerit usus, quoque certiore in morbis præstiterit opem, quibus sublevandis hac destituta omnis vix suffecerit Machaonia ars.

Specimen edituro Academicum, proficuum *Chocolatæ* usum tractasse hinc visum est; levem vero opellam, quana hac de re succincte & pro otii ratione festinanter propono, Candidum Lectorem benigne excepturum esse mihi polliceor.

§. II.

Quum *Chocolatam* constituent plures invicem mixtæ species, oportet eum, qui de indole & virtute ejus judicet, perspectas sibi habere singulas, quæ illam ingrediuntur, partes & singulas singularum vires. Has igitur partes juvabit seorsum tractasse, earumque in corpus humanum effectus: quo

);(

facto

facto facilius pateat, quam junctæ exserere potuerint vim. Antequam vero huic nosmet accingimus negotio, prius dicendum est de vario, quo hunc parant potum variæ gentes, modo, quem aliæ magis compositum, aliæ simpliciore malunt.

§. III.

Tres præsertim methodos. quibus conficitur Chocolata proponere lubet, quæ licet in quibusdam conveniant, pluribus tamen a se invicem discrepant, *Indorum* nempe, *Hispanorum* atque illam, quæ in *nostris* plenumque in usum venit officinis.

INDORUM hæc est:

℞c. Nuc. Cacao tost. ℥j.

Sacchar. in Aqu. Rosar.
solut.

Pulv. Sem. Mays. āā ℥℥.

Contunde; invicem agitentur supra ignem continuo, ne adurantur, redigantur in massam.

HISPANI ita parant:

℞c. Nuc. Cacao tost. ℥vj.

Sacchar. ℥iiij.

Siliqu. Vanill. N:o vij.

Pulv. Sem. Mays ℥ij.

Cinnamom. ℥℥.

Caryophyll. N:o vj.

Capfici ʒj.

Orlean. in Aqu. Rosar.

solut. ʒij pro colore rubro.

Contunde in cacabo supra ignem lenem, agita continuo, donec omnia exacte mixta sint, redige in massam, sub finem adde.

Ambrae

Moschi q. v.

NOSTRATES plerumque sequenti modo **Cocholadam** parant:

℞c. Nuc. Cacao tost. ℥xvij.
 Sacchar. ℥x.
 Siliqu. Vanill. N:o xxviij.
 Ambr. Cinereæ ʒj,
 Cinnamom. ʒvj.

Nucleis torrefactis, contritis supra lapidem concavum calentem igne, adde reliqua, misce triturando & redige in massam; quæ in panes secta exsiccetur ultra xv-xx dies, quo diutius eo melius.

℞c. Panis Cocholad. ʒj.

Solve in aquæ l. lactis tepidi ʒvj & coque donec solutio leniter ebulliat, digere dein supra cineres calidos per quadrantem horæ, agitetur ligno versatili donec in spumam abeat, quam spumam effunde in poculis. Coctio hæc despumetur continuo, in vase residuum denuo agitetur ut in spumam abeat.

§. IV.

Ex hisce igitur constat **Chocolata** partibus, scilicet: 1:mo nucleis *Cacao*, qui basis sunt totius compositionis; 2:do siliquis *Vanilla*, quæ præcipuum censentur condimentum; 3:tio *Ambrosiacis* quibusdam *Ambra*, *Moscho*. 4:to *Aromatibus Cinnamomo*, *Caryophyllis*, *Capstco* cet. quæ singula ad propositum brevi sunt subjicienda examini.

§. V.

THEOBROMA *Cacao foliis integerrimis*. Hort. Cliff. 397, Spec. Plant. 1100; ubi & synonyma videantur; arbor est, e qua leguntur *Cacao* fructus. Arboris botanica *descriptio*, quam unice exaravit **PLUMIER** in *Botanico Americano*. Mstto, invenitur apud **GEOFFROY** in *Traclatu de Materia Medica Tom. II.* pag. 410, quem adeat auctorem, qui cognitionem arboris accuratorem cupit.

Nascitur hæc arbor intra Tropicos Americæ, in regno scilicet *Mexicano*, insulis *Antillis* atque harum regionum confiniis, in calidissimis itaque terræ plagis, ubi loca occupat depressa & umbrosa.

Bis floret in anno. *Fructificationis* descriptionem sistunt *Genera Plantarum Generosiss. D:ni PRÆS. 806. Fructus* magnitudinem & figuram refert Melonis, sed verrucosus est, decem angulis instructus & superne acuminatus; dum maturefcit, fit colore coccineus atque maculis variegatus flavis; intus continet *nucleos* circiter triginta, qui magnitudine Olivæ æmulantur ac *pulpa* obteguntur albida, subdulci & amaricante. Olei magnæ scitent hi nucleis copia, qui expressus vocatur *Pinguedo de Cacao*. Substantia illorum plurimum nutrit ac unctuofo oleo acres involvit humores fibrasque emollit, simul vero flatulenta est: quam ob rem, ut huic subveniatur incommodo, igne torrefiunt nucleis, antequam ad *Chocolatam* conficiendam adhibentur; qua videlicet tostione oleum crassius attenuetur & empyreumaticam induat naturam, hinc chylus, quem e recentibus ingestis nimio imbui oleo atque crudum, ut dicunt, fieri necesse est, tenuior nutritioni magis fit idoneus, nec debili affert ventriculo molestias.

Vis igitur hujus fructus tosti illa est, quam jam retulimus: quod nempe optimum suppeditet alimentum atque mittem chylo conciliet indolem, nec in illo adest, quod nutritioni noceat atque valetudinem infirmet. Proficuum igitur illis censetur, quibus macilentus corporis habitus, fibræ magis elasticæ atque acriores humores; unde facile patet, cur Hispani, in calidissima degentes aura & plerumque emaciati, vinis minus assuescant, *Chocolatæ* vero potus majorem consumant vim, quam cæteræ omnes Europææ gentes. Exinde tamen non inferendum esse existimo, frigidiorum terrarum incolis minus utilem esse hujus sorbilationem, quum tostus calefaciat *Cacao* fructus, atque hæc sua qualitate, juncta cum

nutriente illa, augeat transpirationem & frige factis nostris amissum reddat corporibus fervorem.

§. 6.

VANILLÆ Siliqua fructus est *EPIDENDRI* *Vanillæ scandentis foliis ovato oblongis nervosis sessibilis caulinis, cirrhis spiralibus. Spec. Plant. 1347, ubi synonyma habeantur. Planta parasitica est, quæ cirrhis arbores scandens cortici illarum radices, more Hederæ, infigit. Descriptionem dedit memoratus PLUMIER, quæ legatur apud GEOFFROY in Tract. de Mat. Med. T. II. pag. 362, Character vero genericus in Gen. Plant. 907.*

Nascitur in Mexico atque insula Dominicana, quin etiam passim per Indiam Occidentalem & Orientalem.

Fructus, qui sero autumno maturescit, siliqua est tenuis, longa, compressa, quæ numerosissimis, minutissimis, nigris repletur seminibus, in quibus præcipua vis plantæ residet, odore gaudet fragrante, subambrosiaco, proprio, qui cum alio magis cognito apte vix comparari potuerit.

*Ordine naturali cum Orchidibus convenit, quæ quidem fere omnes vi pollent aphrodisiaca, nam ex planta hujus ordinis paratur famosum Pharmacum, quod *Diasatyrium* audit, Turcarum quoque *Salep*. Cæteræ etiam *Orchides* odore, quem spargunt hircinum, lat suam indicare videntur virtutem aphrodisiacam.*

Non negamus, quod omnia bene nutriencia, præsertim ea, quibus quoque refocilletur Nervosum Systema, Venerem stimulent, vario licet gradu, vix tamen ex omni materiæ Medicæ apparatu depromi potuerit remedium, quod *Vanillis* aphrodisiaca vi palmam eripiat. Radix *Salep*, quam Mahumedani libidinosa exhausti polygamia tanti faciunt, quæque cum odore ambrosiaco junctam nutrientem fovet mucilaginosam substantiam, a multis laudatur, *Vanilla* vero, quæ Ambrosiaco odore

dore longe præstat, cum nutriente Cacao combinata, illam effectu superat atque Chocolatæ eximiam venerem stimulandi vim impertit, quam quidem in illa, quæ absque Vanillis paratur, frustra quærimus, quippe quæ grata corpus exhilarandi careat virtute et non nisi merum præbeat alimentum.

§. VII.

AMBRA proprio se commendat odore, qui *Vanille* licet similis sit, gradu tamen differt. Huic priorem in nervis recreandis et confortandis vix subministrabit materia Medica, ob majus tamen pretium non cujusvis est. Ditiores Turcæ, quibus hoc uti Pharmaco licet, haud parum longævitati atque salutis conducere opinantur. Chocolatæ admiscetur ad finem præparationis, ne volatilem destruat ignis vim. In locum hujus substituunt alii *MOSCHUM*, cujus tamen odor minus est gratus; nec bene ferunt foeminæ, quæ hystericis infestantur insultibus.

§. VIII.

Aromatibus denique nostram condiunt Chocolatam, v. g. *Cinnamomo*, *Caryophyllis* et *Capfico*, quæ quidem omnia calefaciunt & stomachum corroborant, ne incommoda a pingui & unctuofo ipsius Cacao oleo patiat. Acerrimum apud nos non usurpatur *Capficum*, Hispani vero, qui *Capficis* & *Alliis* quotidie vescuntur, consuetum condimentum omnibus admiscunt ingestis. *Caryophylli* acres & fragrantis calefaciendi scopo apte respondent. *Cinnamomum* vero, ut princeps analepticum, quo efficacius nil dedit natura, nostram summo jure ingreditur Chocolatam, cujus præcipua vis sit nervos excitandi. Bajulus, qui frequenti exercetur labore, bene appetit, nec stomachum pharmacis vellicare opus est; nobiliores vero, qui otiosam degunt vitam, continuo afficiuntur ciborum fastidio, et quod ventriculi restauret amissum robur anxie quærunt, his profunt aromata, quæ nervos refocillent, h. e. vires vitæ incitent, quæ otio plane suffocantur.

§. IX.

§. IX.

Absolutis itaque iis, quæ de quacunque Chocolatam constituyente specie scitu necessaria sunt, *USUM* hujus potus paucis jam indicandum esse videtur.

Americanis ordinarium præbet Chocolata alimentum: Hispani, qui coloniarum Americanarum maximam possident partem, ab Indis edocti hanc etiam frequentius sordillant, quam cæteræ Europææ gentes; mane enim hauriunt ac vesperi, quin etiam sæpius de die, eodem modo ac Batavi Theam & Coffeam. Apud nos Chocolatam imprimis in deliciis habent fœminæ nobiliores, eæ nempe, quarum gulæ fortioribus non assuetæ spirituosis, naturali diriguntur instinctu, ac infantum more, acria spernunt, inertia vero ac dulcia eligunt ingesta.

§. X.

His omnibus laudabile suppetit Chocolata *nutrimentum*. Jam vero inquirendum, quibus in morbis etiam præstet medicamentum, ubi eo tutius commendandam existimamus, quo magis sibi medicus gratuletur de remedio palato grato, quo simul & Diætetis & Therapeuticis satisfacere potuerit indicationibus.

Sunt verò hi morbi trium potissimum generum:

1. Primum genus morborum extenuantium est, *MACIES* scilicet, *ATROPHIA*, *MARASMUS*, *TABES* & quædam *PHTHISEOS* species. In hisce affectibus solida attenuatur fibra & tunica cellulosa omni depletur humore, ut hominis adspectu cutem nuda diceret tegere ossa. Quod tutius propinetur, sane nullum, quam Chocolata, adest impinguans, corpori hisce morbis emaciato aptum; respicere tamen oportet & ipsam tostionem & addita aromata, quæ ægroti habitui convenient, ne nimium augeatur & incitetur humorum motus: hinc nec in illa urgeamus Chocolatæ usum Phthisi, quæ Vomica causam agnoscit, præsertim si gravior adsit hæctica febris, quæ neque hoc, neque aliis arceri potuerit pharmacis.

2. Alter

2. Alter, cui conducit frequentior Chocolatæ usus, morbus *HYPOCHONDRIASIS* est, qui quidem per plurimam lustra optimos frustravit & Medicos & medicamenta. Causam diti hujus morbi ponunt aliqui in *acido*, quod primis inhæret viis & una primam podagræ suppeditat materiam; alii ab humoribus derivant *acribus*, qui sanguinem inquinant; alii a *spasms* & mobiliori Syttemate nervoso; alii denique viscerum accusant *obstipationes*. Adhibentur absorbentia, martialia, acidulæ, quæ solida roborent atque acidum corrigant, his licet sæpius palliatur morbus, a minimo tamen Diætæ errore statim revertitur, nec radicitus tollitur. Obstipationes succis herbarum solvere conamur. Amara tonica v. c. Cort. Peruv. Centaur. Hyperic. cet. sæpe levamen tulerunt, raro malum extirparunt. In illa itaque remediorum penuria non sane negligenda est Chocolata, quæ in hocce morbo mirandos præstitit effectus. Nec pauci sunt, qui, omnibus frustra tentatis, frequentiori Chocolatæ usu cruciatibus liberati, hanc unicam prædicaverunt medicinam, quæ huic opem ferre valeret morbo. Meum non est, de ratione, qua agat Chocolata, disserere: probabile tamen videtur, quod pinguedine sua acres & acidos obtundat humores ac involvat, nervos etiam ambrosiaco refocillet ac incitet. Aliis solvendam eam relinquo quæstionem, qui fiat, quod hilaris semper sit juvenilis ætas atque alacer, senectus contra abjecta & melancholica; nec aliam memorem Hysteriæ causam, quæ plerumque anxietates & fletus comites habet, quam vulgo adoptatam; alii etiam reservem occasione novam proponere Melancholiæ fomitem: id saltem e communi adferam experientia, quod Melancholici & Hypochondriaci recreentur ambrosiacis & potu Chocolatæ penitus reficiantur. Nec nova hoc innotuit observatione: diu celebrata est historia Cardinalis a *RICHELIEU* supremi Galliæ Status Ministri, orbis, dum viveret, Directoris, qui hypochondriaco detentus morbo, postquam omnia medica incassum expertus esset auxilia, tandem

dem Chocolatæ potu pristinam recuperavit valetudinem. *BEHRENS select. Diatet. 391.*

3. Tertium morborum genus, cui proficuum æstima-
mus Chocolatæ potum *HÆMORRHOIDES* tam cæcæ quam a-
pertas comprehendit. Matrem sæpius hæc agnoscunt Hypo-
chondriam, quamquam ex aliis etiam non raro oriuntur cau-
sis. Hæmorrhoides cæcæ tensivo dolore, quem natura ma-
gis abhorret quam acutissimum, misere laceasant ægros.
Dum leviores, repelluntur illis externe applicatis, quæ teter-
rimo gaudent odore; hæc vero inutilis quin plane noxia me-
dicina, quando sanguis stagnatus in polypum abiit ac corruptus
acriori sanie vicinas corrodit partes, quod tandem in ani, quam
vocant, fistulam definit. Ut hocce sæpius præcaveatur ma-
lum, licet vel manu Chirurgica vel hirudinibus liber per-
mittatur sanguini effluxus, cessat quidem malum, tem-
poris tamen intervallo recurrit & novos semper minatur in-
sultus.

His sublevandis molestiis vix in Pharmacopoliis servatur,
quod tutius adhiberi potuerit, medicamentum, quam frequen-
tior Chocolatæ potus, cujus eximiam in his morbis virtu-
tem pluribus comprobata habeo experièntiis, quarum unam,
quam pro solito favore communicavit *Ill. & Generos. Dis PRÆ-
SES*, heic liceat adnotasse.

Literatus erat juvenis vegetus & robustus, quem ita
per novem annos conquassaverant cæcæ hæmorrhoides, ut
unicam speraret mortem medicinam. Adhibebantur crebræ ve-
næsectiones, acidulæ, aquæ potus matutinus, diætæ lactea
atque omnia, quæ vel unquam excogitare potuerunt & me-
dici & alii, remedia, omnia tamen in pejus vergebant. Cho-
colatam haurire monitus noluit, quoniam e medicamento,
quod plethoram augere opinabatur, nil sibi policebatur so-
latii juvenis succi plenus ac genarum rubore suffusus, persuasus

sus tandem per annum hunc quotidie sorbillavit potum, quod adeo illi successit, ut peractis postea decem annis jam optima fruatur valetudine nec præteritorum reminiscatur malorum. Citarem etiam exempla plurium fœminarum, quibus ex obstipationibus alvi, scybalis induratis, vita sedentaria atque immoderato Coffeæ usu, Hæmorrhoides tam cæcæ quam apertæ obortæ, Chocolatæ potu sanatæ fuerunt, nisi plura vetaret opusculo injuncta brevitatis, qua æquo tamen me non displicuisse Lectori spero, nam

Non qui multa, sed qui utilia, scit, ille sapit.

TANTUM.

